

tiæ EF, EG . Erunt igitur & circa FG anguli recti. Triangulorum
 igitur rectum angulum habentium erit ratio dimidiæ, quæ sub
 duplo AE , ad dimidiam sub duplo EF , quæ dimidia diametri
 sphæræ ad dimidiam subtendentis duplum anguli EAF . Simili
 ter in triangulo ABG angulum rectum habente G , semissis quæ
 sub duplo AE ad semissem, quæ sub duplo EG , eandem habebit
 rationem, quam dimidia diametri sphæræ ad dimidiam, quæ
 duplum anguli EAG subtendit. Per æquam igitur rationem di
 midia sub duplo EF ad dimidiam sub duplo EG rationem habe
 bit, quam semissis sub duplo anguli EAF ad semissem sub du
 plo anguli EAG . Et quoniam FE, EG circumferentiæ datæ sunt,
 sunt enim residua, quibus anguli A & B differunt à rectis. Habe
 bimus ergo ex his rationem angulorum EAF & EAG , hoc est BAD
 ad CAD , qui illis ad uerticem sunt, datos. Totus autem BAC da
 tus est. Per præcedens igitur Theorema etiam BAD & CAD angu
 li dabuntur. Deinde per quintum, latera AB, BC, AC, CD , totumq;
 BC assequemur.

Hæc obiter de Triangulis, prout instituto nostro fuerint ne
 cessaria modo sufficiant. Quæ si latius tractari debuissent, singu
 lari opus erat uolumine.

Finis primi libri.

g iij